

SECTIO XIII.
DE
SENSIBVS EXTERNIS
IN VNIVERSVM
SPECIATIM VERO
DE TACTV.

§. 227.

Alterum vt vidimus neruorum officium in eo consistit, vt externarum rerum impressiones sensorio communicent; fitque hoc ope sensuum externorum, qui vigilantes quasi sunt corporis, animae vero instructores.

Et de his quidem folis heic nobis sermo est. Nam et stimulum ad alium soluendam, aut famem aliasue id generis voces naturae internas cum Gortero ^{a)} inter sensus referre, pridem monente Hallero, subtilitatis nimiae fuerit.

§. 228.

a) Jo. DE GORTER *exercitationes medicae* IV. Amst.
1737. 4.

§. 228.

Et merito quidem in horum sensuum enarratione a *tactu* inchoemur: vtpote qui omnium primus in homine nato se manifestet, et cuius organon per vniuersam corporis superficiem latissime pateat, et qui longe plurimis rerum externarum proprietatibus afficiatur.

§. 229.

Non solum enim aliquas rerum qualitates vnice tactus ope percipimus, vt calorem, duritiem, pondus &c. Sed et de quibusdam, etiamsi aliis quoque sensibus pateant, tactus tamen adminiculo certiores demum reddimur, vt de figura, distantia &c.

§. 230.

Minus etiam quam alii sensus fallaciis obnoxius videtur; et cultura et studio tantae perfectionis capax, vt aliorum sensuum, praesertim visus, defectum quodammodo supplere possit *b*).

M 4

§. 231.

b) cf. ROL. MARTIN in *Schwed. Abhandl.* Vol. XXXIX.
a. 1777.

§. 231.

In vniuersum quidem sensus huius organon *c)* cutis est, de cuius fabrica supra egimus; proxime tamen eidem inferuiunt corii papillae, variae in variis corporis partibus figurae, plerumque quidem verrucosae *d)*, alibi fungosae *e)*, alibi filamentosae *f)* &c. quibus omnibus cutaneorum neruorum extremitates pulposorum penicillorum in modum terminantur.

§. 232.

Longe principalia vero tactus instrumenta prae reliquis iterum *manus* sunt: quarum cutis etiam singularia plurima prae se fert. In volis scil. et vtrinque ad digitorum articulos ad facilitandam complicationem fulcata est et depilis; extremi

c) F. DE RIET *de organo tactus* LB. 1743. 4. recus. in HALLERI collect. anat. T. IV.

d) DAV. CORN. DE COURCELLES *icones musculor. capitis* tab. I. fig. 2. 3.

e) B. S. ALBINI *annotat. academ.* L. III. tab. IV. fig. 1. 2.

f) RUYSCH *thes. anat.* III. tab. IV. fig. 1. *thes.* VII. tab. II. fig. 5.

B. S. ALBINUS l. c. I. VI. tab. II. fig. 3. 4.

tremi vero digiti tam manuum quam pedum, domestica facie elegantissimis ductibus plus minus spiralibus lirati g); exteriore vero filuestri vnguibus scutellati.

§. 233.

Sunt vero scutiformes eiusmodi *ungues h)* non nisi homini paucisque praeter eum mammalium generibus, [quadrumanibus inquam, quae nempe itidem tactu excellere constat i)], eum in finem concessi, ut explo-

g) GREW in *philos. Transact.* n. 159.

h) B. S. ALBINI *annotat. acad. L. II. tab. VII. fig. 4. 5. 6.*

i) Simiae scilicet, papiones, cercopithecii et lemures, utpote quibus digitorum apices in quaternis quibus gaudent manibus mollissimi, et humanorum digitorum in modum spiralibus lineis distincti sunt.

Disputatum quidem est inter physiologos, num praeter hominem ea quoque mammalia quae *quadrumana* audiunt, tactus sensu instructa sint? In qua lite componenda ea considerare oportet, quae supra (§. 81.) de sanitate varia pro vitae diuerso genere, dicta sunt. Ambabus concedo puellae deliculae niueas manus tactu exquisito longe praecellere brutorum quae nominaui digitos. Ab altera autem parte ipsa antropia toties expertus didici multas simias et papiones digitos habere

explorantium digitorum pressioni resistent paulo, et ita actionem eorum adiuuent.

Corneae sunt naturae, in vniuersum tamen epidermidi comparandi: nam et reticulum ipsis subiacet, in aethiopibus nigricans *k*); huicque denique subiectum corium, periosteo extremae digitorum phalangis tenaciter adhaerens: quae omnes partes constitutivae vnguium in longitudinem striatae sunt; postico margine (qui in manibus lunula signatus est), fulco reflexae illinc cutis insident, vnde indies sensim incrementum ita antrorsum paulatim protruduntur, vt quouis circ. semestri in integrum renouentur.

longe molliores iisque ad explorandas tactu superficiei corporum qualitates longe aptius vti quam barbaris plurimis gentibus liceat, aut innumeris infimae sortis Europaeis, quibus rustico labore callauerunt manus.

k) B. S. ALBINUS. *de habitu et colore aethiopum* fig. 3.